



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 4. Quæsitæ quædam proponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

INSTAT. Quia cum dixisset S. Petrus nomine omnium Apostolorum Matt. 16. v. 16. *Tu es Christus, Filius Dei vivi* Marcus tantum habet *tu es Christus*. Lucas *Christus Dei*, qui posterioribus duo, potissimam confessionis partem non omisissent, si aliud esset esse Filium Dei, aliud esse Christum: Jam verò Christum esse seu unum esse à Deo Deum illum summum nequam constituit.

RESPONDETUR. Esse Christum seu unum utcumque Deum non constituit, sed esse unum unione, quâ Messias ungi debuit, est esse Deum, quæ unctio est unio hypostatica, Divina personæ; quam unctionem, quod hic non intellexerint Evangelistæ probandum restabit Crellio. Immo si per illud Christus, non intellexerint Evangelistæ Filium Dei vivi, alteruter filium dixisset aut hic qui dicit à Petro appellatum esse Christum Filium Dei, aut hic, qui dicit appellatum fuisse non nisi Christum.

OBJICIT 22. Christus secundum eam naturam secundum quam est Filius Dei, & quidem unigenitus ac proprius, pro nobis est mortuus, ergo non est Deus summus, Antec. probat. quia summi Dei amor erga nos ex eo ostenditur, quia ipse Filium suum unigenitum proprium pro nobis in mortem tradidit, sed si Christus non secundum eam naturam secundum quam Dei Filius fuit, sed secundum aliam, quæ Filii unigeniti Dei personæ accesserit, mortuus fuerit, nec simpliciter de Filio Dei unigenito, eum esse mortuum, aut pro nobis datum, dici potest summus ille Dei Amor non poterit exinde colligi, quid enim adeo mirum aliquam unigeniti Filii Dei accesserit, seu naturam ei adjunctam, pro nobis fuisse mortuam, si interim unigenitus Dei Filius integer mansit, nec dolorem sensit?

RESPONDETUR. Quamvis non mortuus sit pro nobis natura Filii, imò nec potuerit mori, sufficit quod natura humana, quæ personaliter fuerat Deus fuerit mortua: salvatur autem amor Dei erga nos; quia illa natura, non erat qualis-cunque, sed subsistens in Verbo, ita ut ratione communicationis idiomatum, verum sit dicere, Deus mortuus.

OBJICIT 23. Incarnatio est creditu difficilior, & tamen non inculcatur à Scriptura.

RESPONDETUR. Inculcari illam à Scriptura, sed bene intellectâ, & explicationibus impotens non distractâ; inculcant illam illa verba. Deus erat Verbum, & Verbum Caro factum est. Inculcant illâ Apostoli inculcantes Christum esse Filium Dei, & simul verum hominem.

OBJICIT 24. Deo summo nihil est opus Spiritu Sancto, & tamen opus erat Christo, quia per illum dicitur dæmonia vicisse, eo repletus fuisse, &c.

RESPONDETUR. Hæc omnia intelligi de humanitate; in contra quæ adfert jam sunt soluta.

INSTAT. Hæc quæ patravit Spiritus Sanctus respectu humanitatis si tribui deberent personæ Trinitatis, maximè tribui deberent Filio, tum ratione arctissimæ unionis cum natura humana; Tum, quia Filius est Virtus Dei naturalis, per quam Pater effecit omnia.

RESPONDETUR. Potuisse quidem tribui Filio, sed potuisse etiam tribui Spiritui Sancto, quia illi attribuitur opus sanctificationis vel maximè. Quod autem dicit secundam personam per nos esse virtutem Dei naturalem, id indiget limitatione; quia nos admittimus omnipotentiam communem omnibus tribus personis, quæ operatur ad extra.

OBJICIT 25. Tentationem Diaboli quæ tentavit Christum. Sed hæc refertur ad naturam humanam. Ea quæ ulterius adfert facile exinde solvi possunt, quod ipse nescierit verè Christum esse Filium Dei, licet addubitarit. Hoc difficile adfert Crellius nempe Diabolum ob contemptum Majestatis Divinæ clarissimè olim conspectæ cœlo exclusum; nunquam enim ille habuit visionem Dei, vel decretorum illius. Imò etiam si Christus concedatur esse purus homo, non potuit tamen ex sententia Crellii superari à Diabolo. Cur ergo tentatus? In hoc est admiranda exinanitio Christi ab Apostolo laudata. Quando autem ex eo loco, quod Christus sit primogenitus omnis Creaturæ, arguit Christum esse Creaturam, id de Humanitate Christi accipi posset; posset accipi & de Divinitate, primogenitum non ex creaturis, sed ante creaturas genitum, accipiendo: quod genitivus ille Latinus Ly omnis creaturæ, patitur; Denique quod dicit ex eo, quod appellatur æqualis Deo Christus, inferri non possit esse ejusdem essentiae cum Patre, aliàs sibi ipsi æqualis esset, id non convincit: nam hæc æqualitas in essentia non est relativa, sed identitatis; & æqualitas relativa, est non nisi ratione distinctarum realiter personarum.

Punctum Difficultatis 4.

Quæsitæ quædam proponuntur.

PER Constitutionem Regni cum fuissent extra fines Poloniæ omnes Ariani relegati erat inter illos M. D. Elias Slichting, Burgavius Districtus Costensis, venit ille ad Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Albertum Tolibowski Episcopum Poseniensem disputaturus, de Fide fultus non tam sua doctrina, quam manuscriptis M. Domini Jonæ Slichting viri literati, germani sui. Evocatus ego sum ad hanc disputationem, postea prædictus Dominus renuit disputare, quia tamen malè eum habebant, mea Theologica dicta in familiari colloquio,

Cc 2 loquio,

loquio, proposuit mihi quæ subijcio, quædam scripto quæsitæ, ad quæ scripto respondi: Anno circiter intercurrente, misit ad Illustrissimum eundem, impugnationes meorum responsorum, intra spatium brevissimum refutavi illas. Subijcio hic omnia exclusivè ad difficultatem tertiam. Eventus hic fuit, ut tandem postea Catholica fidei accesserit.

QUÆSITUM I. Deum esse & Dei esse, relata sunt; relata sunt opposita; opposita non sunt eadem. Ergo Christus Dei sive Filius Dei, non potest idem esse Deus qui Pater est.

RESPONDETUR I. Ly Dei esse, dupliciter sumi posse, primò si ipsum esse Dei sumatur pro essentia Dei, ut cum dicitur Patri æterno competere Dei esse; & sit Deum esse & Dei esse, relata non sunt. Ratio, quia relatio semper est ad aliud, adeoque inter plura; esse autem Dei seu essentia, una est. Erscut si dicatur de Patre quòd illi competat Dei esse, non significatur ulla relatio in ipsum et Patre; ita nec Deum esse, & esse Dei hoc sensu relata sunt. Secundo, Deum esse, & Dei esse sumi potest cum exclusione essentia Divina, sed significando aliquid quod sit possessio Dei tanquam ejus creatura; & sic Deum esse & Dei esse sunt relata, relatione diversitatis sed negamus eo sensu secundo competere Christo secundum naturam & personam Divinam. Hujus duplicis acceptionis habetur exemplum: nam aliud est esse Petri sumptum pro ejus essentia, & aliud esse Petri dictum v. g. de libro Petri. Planius & brevius dici potest, Deum esse & Dei esse in aliqua conceptibilitate relata sunt, sed non in omni; Et ita Verbum seu Filius Dei in esse naturæ ad Deum Patrem non refertur, refertur in ratione personæ, in qua etiam cum Patre idem esse non potest. Secundo relata sunt opposita in quo sunt relata: Sed negamus Filium secundum naturam dicere relationem ad Patrem; sed secundum personam, secundum quam solam dicit ad illud oppositionem; & secundum naturam humanam, secundum quam dicit relationem diversitatis. Tertio. Illatio illa non tenet. Nam Christus Dei sive Filius Dei non potest esse idem Deus, quoad personam quæ Pater est; potest esse idem Deus quoad naturam, in quo non dicunt relationem.

QUÆSITUM 2. Quomodo relata possunt non esse opposita?

RESPONDETUR. Relata in quosunt relata, non possunt non esse opposita: quia ex Aristot. cap. Ad aliquid. Relativa definitivè sunt ad aliud; aliud autem semper est oppositum. Cæterum relata in quo non sunt relata, possunt non esse opposita. Unde supponit etiam communis Philosophia rationem IN competentem accidentibus non esse relativam, sed rationem AD: & id quod pro subjecto dicit, relatio est aliquid absolutum, adeoque non relatum. Un-

de etiam illud axioma; Absoluta priora esse relativis.

QUÆSITUM III. Christus Filius Dei secundum Divinam naturam dicitur; Ergo Deo etiam secundum Divinitatem suam Christus relativè opponitur, & per consequens idem Deus cujus filius est, etiam secundum Divinam naturam esse non potest.

RESPONDETUR. Christus Filius Dei secundum Divinam naturam dicitur hoc sensu, quia scilicet habet naturam Divinam sibi communicatam, & non est filius per adoptionem merè; sed non hoc sensu Filius Dei secundum naturam dicitur, quasi ipsa ejus natura generetur: Si enim secundum naturam generaretur, hoc ipso esset alius in natura Deus: genitum enim & generans in eo in quo est genitum & generans, utpote relata, distinguere debent realiter: Est autem Thesis Catholica, natura non generatur, sed filius. Non ergo sequitur, in ipsamet Divinitate Christum relativè opponi Patri.

QUÆSITUM IV. Natura pro essentia sumitur?

RESPONDETUR. Naturam sumi pro eodem, ita ut utraque hæc formalitas sit idem realiter, & simul communicabiliter tribus personis.

QUÆSITUM V. Quomodo essentia comparatè ad personam se habeat?

RESPONDETUR. Essentia comparatè ad personas, & personæ comparatè ad essentiam sunt idem realiter; licet comparatæ inter se sint distinctæ realiter: Quia comparatæ inter se habent oppositionem producentis & producti: comparatæ autem ad naturam non habent hanc oppositionem. Propositio illa quæ assumitur, quod per essentiam apud nos tripersonatus Deus dicitur, propositio, inquam, illa hoc sensu est vera; quia non per accidens est Deo ut exigit tres personas: Sed non hoc sensu, quasi ipsa essentia sit ratio ipsius multipliciter ternariæ constitutiva: Hanc enim constituunt personæ, à naturâ quidem realiter indistinctæ; distinctæ inter se.

Punctum Difficultatis 5.

Instantia pro Quæsitis & aliæ Objectiones solvuntur.

Quoad Responsiones Quæsitæ primi.

INSTABIS I. Quis tam vesanus est, ut esse Dei, in priori sensu acceptum, & esse Deum, relata dicat? extra dubium est, quòd vox esse non materialiter seu pro nomine, sed pro verbo accipiat substantivo, secundum quod sumitur, Joan. 10. v. 36. *Ego sum Filius Dei.* Et

Matt.